

FRANCISCI PATRICII
PAUNAGIAE
LIBER DECIMUS
DE FONTE, AC PATRE LUMINUM.

Summe Deus Opt. Max. soli ne omnium hominum Aristoteli, mentem es largitus? Nemo ne aliorum hominum philosophari scivit, ipse solus scivit omnia? Viri hi, quos attulimus, Chaldæorum, Ægyptiorum, Hæbraeorum, Græcorumque scientissimi, et humanæ totius sapientiae capira, delirarunt ne, dum de luce, lumineque sunt locuti, et corporeo, et intelligibili? Pronunciarunt hi, pronunciavit ille: neutri asserta sua, demonstrationibus probarunt. Dixerunt illi, ea quæ exposuimus. Dixit iste.

Calorem et lumen fieri atrito aere ab astrorum latione. Rem sane falsam, ac fatuam. Lumen etenim etiam in coelo visitur, ubi nullus aer. Astra noctu quoque lucent, nullum tamen lumen in aere faciunt. Hieme neque calorem aeri indunt, et quæ longissime ab aere absunt, quomodo aerem terunt? In cubiculo ad lucernæ lumen sæpe, et hæc ipsa scribimus, ubi nulla aeris atritio. Vel et hoc lucernæ nostræ lumen, a latione fit astrorum. Tam paucis verbis, tam magni Philosophi, tot falsitates, totque fatuitates? Deus bone, et in tanta habetur admiratione? Ipse quidem propositionis huius suæ nullam attulit, aut afferre potuit probationem, qua cognosceremus, aerem ab astris aeri, et lumen ob id produci. Illi vero Deo afflati sunt locuti. Nos vero eorum sententiam, aliquot probavimus rationibus, iisque ut remur non invalidis. Quos autem illi, Dei afflatu sint locuti, Græcorum summus ac vetustissimus Orpheus est attestatus, dum canit.

Αυτὸν δ'οὐχ ὄρώω, περὶ γαρ νέφος ἐσήρικται.

Λοιπὸν ἔμοι, σαστὶ δὲ δέκα πτυχαὶ ἀνθρωποισι.

Οὐ γαρ κέν τίς ᾧδοι θητῶν μερόπων κραινοντα.

Εἰ μὴ μουνογενῆς τίς ἀπορρώξ φυλού ἄνωθεν.

Χαλδαίων, ᾧδρις γαρ ἐην ἄστροι πορειῆς.

“Ipsum non cerno, circa enim nubes firmata est.

Relicta mihi; stant vero decem involucra hominibus.

Neque enim quisquam vedit mortalium, regnatorem.

Nisi unigenitus quidam. Ortus tribu supera.

Chaldæorum, sciens enim erat astrei itineris”.

Quibus carminibus clare affirmat: nullum hominem illum vidisse umquam; præter unum Chaldæum, in cuius notitiam pervenit ex Astrologia. Quod quidem de Abramo affirmmat Philo et sacra *Biblia* narrant, Deum Abramo fuisse locutum. Eadem dicunt, eum exisse de Hur Chaldæorum. Sed quoniam nihil scripsisse videtur Abramus, non putuit eius sapientia ad Græcos pervenire. Zoroaster vero Chaldæus, et ipse fuit, et Abramo contemporaneus, et Astrologiæ et Magiæ, hoc est sapientiæ primus repertor. Qui de rebus omnibus voluminum multa millia scripsisse fertur. Hunc ergo Orpheus designavit potius, quam illum. Sed quid vetat, utrumque uti viri sapientes inter se solent, conversationem habuisse? Et hunc ab illo multa de Deo didicisse? Quæ Deus Abramo revelaverat? Certum est, Proclum, Assyriorum, et Chaldæorum Theologiam, et oracula, quæ sæpe citat, asserere a Deo fuisse traditam. Atque inter alia, commentariis suis in *Timæum*, in hæc verba scripsit: Καὶ μήν, καὶ ἡ τῶν Αστυρίων θεολογία τὰ ἀντὰ παραδίδωσι θεόθεν ἐκφανθέντα.

“Et sane Assyriorum quoque Theologia eadem tradit, a Deo revelata.” Alio quoque.

Οὐτω δή καὶ ἡ θεοπαράδοτος θεολογία φησίν.

“Hic sane etiam a Deo tradita Theologia inquit.”

Loco alio iterum:

Οὐτω δή, καὶ ὁ ἱερὸς λόγος, ὁ παρὰ χαλδαῖων συνάπτει τοῖς Μηναῖοις Καναχισμοὶς τὸν αἴρα, τῷ πυρὶ τὸν οὐρανὸν ἀπονέμων.